

AK. 531, 37.

B. M. II, 638



R

M

AK. 531.

B. m. II, 638.

DE

ROMANORVM GRAMMATICE AB GRAECIS PETITA

PRIMVM DISSERIT

P R O L O C O

IN AMPLISSIMO SAPIENTVM ORDINE

VINDICANDO

M· IO· CHRISTIANVS MESSERSCHMID

CIVICAE R· SOCIETATT· AVGST· REGIOMONT· IENN· ATQ

LIPS· ITEMQ· INSTITVT· LITTER· SOD

R E S P O N D E N T E

M· IO· GODOFREDO DISING

VITEMB

A· D· V· IVL· CIC· CCCLXV.



VITEMBERGAE

LITTERIS GERDES I



ROMANICUM CULTURALE

AD GRAECIAS PELLIT

THEMIS DILEXIT

BIBLIOPOLIS

IN VITRARIO SPLENDIDUM QUITA

ANNO MDCCCLXV

EDITIONES IN SELBSCHEID

EX LIBRIS SOCIETATIS SOCIOGRAPHICAE ET HERALDICA

COS. 1880. LIBER. 1880. 1880.

LIBRARY OF THE SOCIETY FOR THE HISTORY OF THE CIVILIZATION OF THE AMERICAS

1880. GOODELL & CO. DUBLIN

LIBRARY

1880. LIBRARY OF THE SOCIETY FOR THE HISTORY OF THE CIVILIZATION OF THE AMERICAS

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

BIBLIOTHECA
MUSEI ROMANICUS



De romanorum a graecis peita grammaticae acturo id mihi negotii datum esse puto, ut, sub grammatices vocè quae sit subiicienda sententia, prius declarem, propterea quod eius anceps et multiplex potestas est. Etenim nominis rationem si habere volumus, ab cognitione cuiusmodicunque litterarum illud adscivit. Verum quem ad modum, *sexto* empirico iudice (*aduersus grammariam l. i c. 2 p. 225 edit. Fabrici*) medendi ars olim quidem fuit appellata *iatricon* a telis, qui *iui* dicuntur, eximendis, dicitur autem nunc quoque de propulsione aliorum morborum et cura, quae est longe artificiosior, et quomodo geometria ab initio quidem suam traxit appellationem ex dimensione terrae, usurpatum autem in praesentia etiam de contemplatione rerum magis naturalium: ita etiam perfecta grammatica a litterarum cognitione in initio nominata, extensa est ad cognitionem, quae versatur in variis magis, magisque artificiosis circa litteras praecepitis. Idquod *CICERO* (*de orar. lib. i p. 86. edit. SCHREVEL.*) his dilucide explicat verbis: in grammaticis postarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronunciandi quidam sonus conclusa est

GRAMMATICES munera quamquam quatuor sunt, quot eius formae sint, nondum definitum. Quidam in *ateleserav*, rudem seu populariem, argue in *telesioterav*, poliorem ac perfectiorem profundio-

A

remque



remque eam diuidunt ac partivnt, cuius illa de iusta pariter litterae
 loquela ac idonea scriptione praecipit, haec veterum scriptorum moni-
 mentis facem praefert, illustrando ea, interpretando, emendando.
QVINCTILIANVS (*inst. or. l. 1 c. IIII, VVV*) breuissime in duas
 partes diuidi, recte loquendi scientiam et poetarum auctorumque enar-
 rationem docet, quarum illam methodicen, hanc historicen vocant
DIOMEDES bifariam distribuit in historicen seu finitiuam, quae praec-
 ceptiones recte loquendi, recte scribendi tradit, atque in exegetiken
 seu enarratiuam, quae poetarum et historicorum explicationem. Mixxv
 aliam esse, siue τεχνην περι του γραφειν και ανεγνωστειν, aliam
 μεγαλην siue τεχνην θεωρικην των πορειας ποιησιος τε και λογιοις, qui
 λογιοι oratores, historici, philosophi, medici sunt, quod ad αφηγησιν ipsorum
 et συνταξιν attinet, nam ζητηματα ipsa et argumenta ad philosophos et
 medicos, non ad grammaticos pertinent, docet quidam **DIONYSI** thraci-
 cis interpres, auctore **I. A. FABRICIO** (*ad SEXT. empir. p. 236 P.*)
 Quam grammaticen **SEXTVS** bipartitus est (*p. 226, 49.*), in tres partes
 diducit (*p. 236, 91.*). Etenim alia est, quae proficitur, se doctrinam
 esse elementa et eorum connexiones, atque est ars quaedam legendi et
 scribendi; alia autem praeter hanc facultas profundior, quae non sita
 est in nuda litterarum cognitione, et natura, et praeterea in orationis
 partibus, quae ex iis constant, et si quid eius generis consideratur.
 At alia est historica, alia vero artificiosa, alia autem magis propria,
 per quam certa via ac ratione tractantur, quae sunt apud poetas et scri-
 ptiores. Ex quibus artificiosa, alias nuncupatur methodice, quidem
 est illa, in quae praincipiant de elementis et partibus orationis, et ortho-
 graphia, et linguae proprietate, et iis, quae haec consequuntur. Ve-
 rum historicia, exegetice etiam dicitur, vbi docent de personis, vt
 de diuinis et humanis et heroicis, aut narrant de locis, vt de montibus
 vel fluminis, aut tradunt de commentis et fabulis, aut si quid est eius-
 modi.

modi' Contra magis propria, haec nominatur critice, est, qua considerant, quae sunt in poetis et scriptoribus, quatenus exponunt ea, quae dicuntur obscure, et iudicant, quae sunt bona et quae secus, et distingunt germana ac genuina ab adulterinis' **VARRONI** quadripartita est, atque ex lectione, enarratione, emendatione, iudicio tandem composita' Illius μεγος αναγνωσικον, διορθωτικον, εξηγητικον, κριτικον esse, ex nescio quo perantiquo, qui adhuc later, **DIONYSI** thracis interprete in aspectum lucemque proferunt **I' A' FABRICIVS** (*in sext empir p. 236, P*) atque **I' E' I' VVALCHIVS** (*de arte crit vet rom p. 190, p*). Idem ille **FABRICIVS** commemorat, thracem **DIONYSIVM**, celeberrimi olim **ARISTARCHI** discipulum atque auditorem, artis grammaticae seu grammaticorum παιδαγγελματων praeceptorem iuxta ac auctorem, in sex grammatica secuisse ac diuisisse partes' Μεγη δε, inquit, αυτης εισιν εξ. πρωτον αναγνωσις εντειχις κατα προσωδιαν δευτερου, εξηγησις κατα τους ενυπαρχοντας ποιητικους τροπους· τριτον γλωσσων τε καη ισοριων προζειρος αποδοσις· τεταρτον, ετυμολογιας ειρεσις· πεμπτον αναλογιας εκλογισμος· εκτον, κρισις ποιηματων, δη καλλιτον ειν παντων εν τη τεχνη

GRAMMATICES ancipites quoniam potestates sunt ac tam multiplices, vt eorum, qui de ea praeceperunt, sententia diuisa sit, facile tamen neque ullo negotio tam arcte conciliari, puto, inter se possunt et coniungi, vt nulla inter illos varietas opinionis sit, nam re concinere videntur, verbis discrepare' Grammatice, vere praedicat **QVINCI** **LIANVS** (*lib 11 c 1*), quam in latinum transferentes, literaturam vocauerunt, fines suos novit, praesertim tantum ab hac appellationis suae paupertate, intra quam primi illi constitere, profecta' Nam tenuis a fonte, assumis poetarum historicorumque viribus, pleno iam satis alueo fluit, cum praeter rationem recte loquendi, non parum alio-



qui copiosam, prope omnium maximarum artium scientiam amplexa sit. Haec professio, cum breuisime in duas partes diuidatur, recte loquendi scientiam, et poetarum enarrationem, plus habet in recessu, quam fronde promittit. Nam et scribendi ratio coniuncta cum loquendo est, et enarrationem praecedit emendata lectio, et mixtum his omnibus iudicium est, quo quidem ita seuere sunt usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare, et libros, qui fallso viderentur inscripti, tanquam subditios summouere familia permisirint sibi, sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero (*L i c 1111*). Vnum atque idem sentit **SENECA** philosophus (*ep. LXXXVIII*). Grammaticus circa curam sermonis versatur, et si latius euagari vult, circa historias. Iam ut longissime fines suos proferat, circa carmina. Quid ex hoc efficitur? id, quod magnus quondam **VOSSIUS** expromisit. **Γραμματα** et literae nunc prima notant elementa, ut, quum litterarum alias dicimus esse vocales, alias consonantes, nunc vero sumuntur pro litterarum studiis, ut in veteri senario:

Διπλούν δρωσιν εί μαθούτες γραμματα

Quomodo item **TULLIUS** litteras diuidit in vulgares, et interiores siue reconditas, ita et **γραμματικη**, quae *απο των γραμματων* dicta, nunc legendi, scribendique, vel bene loquendi artem designat, nunc vero, praeter eam, historiarum ac fabularum notitiam comprehendit, quandoque etiam plurium artium et mulierum rerum scientiam, et efflorescentem inde facultatem enarrandi scriptores, et iudicandi de eorum scriptis, locisque corruptis. Atque hoc pacto cum sententia nostra conciliari posse arbitror opinionem veterum, qui late adeo grammaticen extendunt, ut non una sit scientia, sed scientiarum cinnus. Hoc sine dubio argumentum fuit **TELEPHI** grammatici libro eo, quo ostendit,

περα-

ποσα πχεη ειδενα γερμανικον, teste SVIDA. Quapropter in QVIN
 CTILIANVM broensis SANCTIVS iniuriosus est, omnes illum huic
 grammaticae subiicere disciplinas, increpando. En verba eius (*in min.
 p. 11*)! Vbi nam gentium ea grammatica est? Quis eam conscripsit?
 Vnde hanc reginam artium petemus? Vulgi errorem sequutus est QVIN
 CTILIANVS. Dicebantur enim quondam grammatici vulgo, qui pri-
 mis rudimentis pueros instituebant, et eis poetas enarrabant, quo in
 munere subeundo adhibebant, praeter grammaticam, variarum artium
 cognitionem, neque tamen vulgus intelligebat doctorem illum musicae,
 astrologiae, philosophiae esse peritum. Mihi perfectus absolutusque
 grammaticus est ille, qui in CICERONIS vel VIRGILII libris intel-
 ligit, quae dictio sit nomen, quae verbum, et caetera, quae ad solam
 grammaticam spectant, etiam si sensuum verborum non intelligat, est
 enim oratorum et poetarum lectio variis artibus referta, quas si magi-
 ster ille callebat, iam non grammaticus dicendus est, sed dum explanat
 astrologiam, astrologus, dum historiam, historicus, dum praecepta
 eloquentiae, rhetor. Ex quo, vocabuli grammatices fata varia fuisse,
 quem ita perspicuum sit, ut oculis iudicare possimus, quaenam perpessa
 sit? demonstrare operae premium duco

GRAMMATICE quoniam, vii MARIUS VICTORINVS pro-
 nunciat, απο των γερμανικων, hoc est, a litteris, abs quibus incipere
 deber, nominationem petuit, de litteris, de lectione, de scriptione,
 de pronunciatione agit, atque eadem est, quam technicen SEXTVS,
 QVINCTILIANVS methodicen nominat. Sed quem ad modum in
 duas quasi scholas diuisa fuit, quarum rudior ac popularior altera, al-
 tera politior et perfectior fuit; ita et grammaticice, quam romani lit-
 terationem, et grammaticce, quam literaturam, nam DIOMEDE iu-
 dice (l. II p. 414 edit. PVTSCI) formam loquendi ad certam ratio-

nem



nem dirigit, vocant, exorta atque nata est. Quamquam illa hac antiquior est, ut haec ex illius fonte fluxerit, tamen altera altera adeo nobilior est, ut ad artes populares illam, hanc ad liberales vossivs retulerit. Illa, **VI S E N E C A E** verbis utrū (ep. LXXXVIII), primam illam, ut antiqui vocabant, litterarum, per quam pueris elementa traduntur, non liberales artes docet, sed mox praecepiti locum parat. Illa legendi scribendi, que facultatem fines sibi terminosque constituit, extra quos non egreditur. Haec vero latius euagatur. At quid multis! Quae inter utramque distantia sit, explicat dilucide empiricus (p. 224). Grammatice, ait, diuersa significatione, et communiter accipitur et proprietas. Ac communiter quidem, pro cognitione cuiusmodicunque litterarum, seu graecarum, seu barbararum, quam grammaticen appellare consueuimus. Proprie autem est perfecta illa et absoluta, et qualis fuit elaborata studio ac diligentia **C R A T E T T I S** mallorae, **A R I S T O P H A N I S** et **A R I S T A R C H I**. Videtur autem viraque ex quadam notatione eiusdem nominis esse appellata. Prior enim a litteris, quibus signamus voces articulatas. Posterior autem fortasse quidem, ut nonnulli censuerunt, ut distingueretur a priore, est enim illius pars. — Perfecta grammatica a litterarum cognitione in initio nominata, extensa est ad cognitionem, quae versatur in variis magisque artificiosis circa litteras praecepitis. Fortasse autem, ut dicit **A S C L E P I A D E S**, ipsa quoque nominata est a litteris, sed non ab iisdem, a quibus grammatica seu ars litteratoria. Sed illa quidem, ut dixi, dicitur ab elementis, haec vero a scriptis, in quibus versatur. Nam ea quoque appellantur litterae, quomodo etiam publicas vocamus litteras, et multarum litterarum dicimus esse peritum, hoc est, non elementorum, sed scriptorum. Et **C A L L I M A C H U S** aliquando quidem poema vocat γραμμα, hoc est litteram, aliquando etiam, quod scriptum est soluta oratione. Quem ad modum

etiam

etiam inter grammaticen atque grammaticen multum interest, ita
 inter viriusque cultores. Alius enim est grammaticista, alias grammati-
 cus, alias litterator, alias litteratus. Ille, ὁ τε πρώτα σοιχεῖα διδόσων,
 svida teste, mediocriter, hic absolute doctus, ille imbutus, hic per-
 fectus litteris existimatur, qui aliquid diligenter et acute scientesque
 potest aut dicere aut scribere. Quod discrimen, qui diligentius siue
 graece siue romane loquuntur, et si, CASAVBONO iudice (*ad svet
 grammar c. 4*), accurate seruant, interdum tamen neglectum fuisse,
 obseruat ex IO. VVOPVERIO (*de polymath. p. 34, 35*) s' V' VVAL
 CHIVS (*in hist. crit. lar. ling. p. 242*). Neque casus, neque inanis
 vocis sonus fuit. Etenim M. ANTONINVS philosophus, quum
 egressus esset annos, qui nutricum furentur auxilio, magnis praecepto-
 ribus traditus, usque est magistro ad prima elementa EVPHORIONE
 litteratore et GEMINO comoedo, grammaticis graeco ALEXANDRO,
 quotidianis latinis TROSIO APRO, POLLIONE, EVTYCHIO PRO-
 CVLO siccensi (*IVLIVS CAPITOLINVS in vita c. 11*). Inter magnos
 et optimos viros, disciplinarum magistros, quorum praeceptis MARCVS
 COMMODVM erudire conatus est, numerantur quoque litteratores,
 graecus ONESICRITVS, et latinus CAPELLA ANTISTITIVS (*AELIVS
 LAMPRIDIVS in vita c. 1*) ALEXANDER SEVERVS, ut a prima
 pueritia artibus bonis imbutus, sic in ea litteratores habuit VALERIVM
 CORDVM et T. vel, ut alii volunt, LVCIVM VETVRIVM, et
 AVRELIVM PHILIPPVM libertum patris, grammaticum in patria
 graecum NEBONEM, rhetorem SERAPIONEM, philosophum STI-
 LIONEM, ROMAE grammaticos, SCAVRINVM, SCAVRIN^z
 filium, doctorem celeberrimum, rhetores IVLIVM FRONTINVM
 et BAEBIVM MACRINVM et IVLIVM GRANIANVM (*LAMPY-
 DIVS in vita c. III*). Sutorem ultra crepidam latinae linguae litterato-
 rem exhibet GELLIVS (xvi, vi), qui ROMA a brundusinis arces-
 sus



tus experiendum sese a vulgo dederat, ad quem oblectamenti gratia iuerat, et quum iuberet, rogare se, si quis quid omnium rerum vellet dicere, et tamen obseruaret, quod barbare insciteque septimum VIRGILLI legeret, non diuinus indocti hominis confidentiam tolerare poterat, sed ad versum illum,

centum lanigeras maestabat rite bidentes,

quaerere incipiebat, docesne nos magister, cur bidentes dicantur? ecce turpem se dedit omnibus bidentes respondens oues appellatae, eamque ob causam lanigeras dixit, vt oues planius demonstrareret. Quum vke-
rius vocabuli rationem quaereret, ille nihil contatus, sed nimium quan-
tum audacter, oues, inquit, bidentes dictae, quod duos tantum dentes
habeant. MARTIANVS CAPELLA (*de nuptiis philologorum et MERCVR*
L. III) grammaticen loquentem introducens, mihi, inquit, ROMVLVS
litteraturae nomen adscripsit, quamvis infantem me litterationem volue-
rit nuncupare, sicut apud graecos γραμματισμόν primitus vocabatur.
Tunc et antisitem dedit et scelatores impuleres aggregavit. Itaque
assertor nostri nunc litteratus dicitur, litterator antea vocabatur. Sed
vocabatur non litterator solum, sed etiam litterarius, litterio, primus
magister, ludimagister, magister ad prima elementa, vii eius scientia
prima elementariae. Quae tradit, quamvis litterarii
paene esse ludi et trivialis scientiae, asseueret QUINTILIANVS (*I,*
1111) tamen ille cum empirico, quin illam eximie collauder, sibi
temperare non possunt. Minus enim ille perhibet ferendos, qui hanc
artem, ut tenuem, ac ieiunam, cauillantur, quae nisi oratori futuro
fundamenta fideliter iecerit, quidquid superstruxerit, corruer, necessa-
ria pueris, iucunda senibus, dulcis secretorum comes, et quae vel sola
omni studiorum genere plus habet operis, quam ostentationis. Ne
quis igitur tamquam parvus fastidias grammatices elementa, non quia
magnae

magnae sit operae, consonantes a vocalibus discernere, ipsasque eas in semiuocalium numerum, mutarumque partiri, sed quia interiora velut sacri huius adeuntibus, apparebit multa rerum subtilitas, quae non modo acuere ingenia puerilia, sed exercere altissimam quoque eruditio-
nem ac scientiam possit. Hic vero grammaticen longe vilissimam
praedicat, quoniam per litteras excogitas otiosissimae medetur affe-
ctioni, nempe obliuioni, continet autem operationem maxime necessa-
riam, nempe memoriam, omnia fere in ea sira sunt, et neque ea,
quae sunt maxime necessaria, si ea alios licet docere, neque sine ea
aliquid viile ab alio disci potest. — Vsus elementorum confert ad vitam
traducendam, sed non esse contentum traditione, quae existit ex
horum observatione, præterea autem ostendere, quod alia quidem sunt
natura vocalia, alia autem consonantia, et ex vocalibus alia quidem sunt na-
tura brevia, alia vero longa, alia autem ancipita et communia, quod ad
productionem attinet et correptionem, et alia, de quibus docent fastu in-
flati grammatici. Quam ob rem grammaticam quidem et litteratoriam
non solum non accusamus, sed etiam summas ei habemus gratias.

QVAE ex litteris traxit appellationem, que studiorum commenda-
tionem a litteris dicit grammaticę, DIONOME iudice, sola litteralis est.
Tantum vero abest, ut ὡρθοπειαν, recte loquendi formam, et ὀρθο-
γραφιαν, recte scribendi scientiam complectatur, ut de interpretatione
veterum auctorum ac vero legitimoque usu atque indole verborum totius
sermonis praecipiat. Grammaticen experientiam maximae partis eorum,
quae dicuntur apud poetas et scriptores, affirmat DIONYSIUS thrax,
scriptores, sexto interprete (p. 228), vocans, ut ex eo, quod ex aduerso
eos poesis opponit, perspicuum est, non alios quam qui scripserunt
soluta oratione. Quae apud poetas et scriptores occurrunt, grammati-
cus interpretari videatur, ut, apud HOMERVM, HESIODVM, PIN-
DARVM, EVRIPIDEM, MENANDRVM, atque alios. Quae apud
scriptores.



scriptores, ut, apud HERODOTVM, THUCYDIDEM, PLATONEM
 leguntur, eorum interpretationem, tamquam proprio munere fungens,
 aggreditur. Quam ob rem qui ex eis insignes sunt et probati, de mul-
 tis tractarunt scriptoribus, tum historicis, tum oratoribus, atque adeo
 etiam philosophis, quaerentes, quaenam recte ab eis dicta sint et con-
 sentanea linguae proprietati, et quaenam praeue ac corrupte. Atque
 haec est grammaticae historice seu exegetice, quam ASCLEPIADES in
 suo de grammaticae opere, SEXTO teste (p. 269), trifariam diuidit.
 Ex historia enim aliam quidem dicit esse veram, aliam falsam, aliam
 tamquam veram, veram quidem, quae versatur in rebus, quae gestae
 sunt, falsam, quae in figmentis et fabulis, tamquam veram, cuiusmodi
 est comoedia et mimi. Verae rursus tres sunt partes. Nam alia ver-
 satur in describendis personis deorum et herorum et virorum illustrium,
 alia in locis et temporibus, alia in actionibus. Falsae, nempe fabulo-
 sae, unam solam dicit esse speciem, nempe genealogiam. Parti autem
 historicae dicit, sicut et DIONYSIUS, communiter subiecti hanc, quae
 pertinet ad voces inusitatas, docens, v. c. quod οὐρανὸς est verum vel
 bonum, similiter et quae pertinet ad proverbia et definitiones. Quare
 de fluminum, montium, regionum nominibus anquirere, abstrusas
 historias, aut μυθολογουμένα aut ποιητικῶς θεολογουμένα explicare,
 genealogias deorum ac priscorum herorum diligenter rimari, ad histori-
 cum pertinere grammaticam, IOSEPH' SCALIGER arbitratur. Ad
 illum etiam pertinet, voces obscuriores illustrare, ac veram illarum
 ostendere significationem, id quod eo potissimum tempore necessarium
 est, quo lingua pristinum suum amittere nitorem, a castitate, qua adhuc
 sepe commendarat, deflectere, et peregrinae originis vocabula recipere
 coepit. Omnes eiusmodi voces, sunt antiquatae, sunt peregrinae, sunt
 inusitatae, sunt singulis propriae ac peculiares locis, glosarum glosema-
 turiae nomine insignitae sunt, quibus interpretandis grammatici, inde
 glos-



glosographi, glossularii, glossematarii dicti, fuerunt negotiosi. Quare
 fuerunt, qui cuiusdam gentis voces proprias illustrarunt, vt, atticas
 Λεξις ARISTOPHANES grammaticus, ΔΕΛΙΟΝ DIONYSIUS, ΕΠΙ-
 ΘΕΡΣΕΣ nicenus, GALENVS, PHILEMO, PHRYNICHVS arabi-
 vius, ΒΙΤΗΝΥΣ sophista, THOMAS magister, alexandrinas ΔΕΜΕ-
 ΤΡΙVS, creticas HERMONAX, laconicas ARISTOPHANES, rhodia-
 cas MOSCHVS, italicas DIODORVS. Fuerunt, qui omnis generis vo-
 ces, vulgares, peregrinas, barbaras, r.riores, minus visitatas, quae in-
 terpretatione videbantur dignae, collegerunt, et scripserunt λεξικα vel
 ονοματικα. Fuerunt, qui vocum descripserunt origines et libros περὶ
 επυμολογίας, vel επυμολογιῶν, aut επυμολογικα composuerunt.
 Fuerunt, qui voces, quas vocare solent, technicas, quae in disciplinis
 tantum visitatae sunt, vel singulares sibi in illis significationes vindica-
 runt, studuerunt conquirere, vt in antiquis ingeniorum monumentis
 glossae theologicae, medicae, philosophicae, chemicae, rhetoricae,
 grammaticae commemorantur. Quoniam QUINTILIANO auctore
 (i, 1111), poetas legisse non satis est, excutiendum omne scriptorum
 genus, non propter historias modo, sed verba, quae frequenter ius ab
 auctoribus sumunt, tum nec circa musicen grammaticae potest esse per-
 fecta, quum ei de meritis rhythmisque dicendum sit, nec si rationem
 siderum ignoret, poetas intelligit, qui, vt alia mittam, toties ortu
 occasuque signorum in declarandis temporibus vntunt, nec ignara phi-
 losophiae, cum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos ex
 intima quaestionum naturalium subtilitate repetitos, tum vel propter
 EMPEDOCLEM in graecis, VARRONEM ac LVCRETIVM in lati-
 nis, qui praecepta sapientiae versibus tradiderunt, eloquentia quoque
 non mediocri est opus, vt de vnaquaque earum, quas demonstrauimus,
 verum dicat proprie et copiose, ad munus hoc obeundum non tenuem,
 non parcam, sed praestantem, sed amplam, sed variam requiri erudi-
 tionem



tionem, latisime hic sece extenderet labore ad omne studiorum genus,
et omnibus serme scientiis, artibus, rerumque cognitione imbutum
esse, quis est, qui negat

SEN his duobus grammaticorum grammaticique partes profligatas
iam et ad exitum deductas esse, non est, quod putemus. Ut vndeque
apta atque perfecta expletaque sint omnibus suis numeris et partibus,
critice pernecessaria est. Haec est, quae, THOMA REINESIO iudice,
scriptoribus sua nomina reddit, sua opera adjudicat, genuina a suppo-
nitissimis discernit, rem quamvis obscuram, et quidquid tandem in quaes-
tionem cadit, exponit, quidquid sciri potest, inquirit, sententias ex-
aminat, et dissonantes conciliat, de verbis censer, et veritatem, quan-
tum eius in hac mentium caligine comprehendit, quasi in materia inda-
gat, eruit, proponit, falsa auctoritate notat, circumscribit, transposita
restituit, fugitiua reuocat, prava emendar. Haec est, interprete TO-
CLERICICO, ars intelligendorum veterum scriptorum sive numeris adstri-
cta, sive soluta oratione videntur, et dignoscendi, quaenam eorum
genuina scripta sint, quae spuria, tum etiam, quae sint ad regulas artis
exacta, quae vero secus, quae ambitu suo tres partes complectuntur,
primo, monita ac consilia adtinentia ad ordinem, quo legendi veteres,
ut linguae potissimum latina, graeca et hebraica addisci commode queant,
resque latinorum, graecorum et hebraeorum cognosci, secundo, cano-
nas de interpretatione verborum et locutionum, tertio, praecepta de
iudicio, quod de antiquorum scriptorum libris et locis tam genuinis,
quam spuriosis, tam sinceris, quam corruptis ferre nos oportet. Haec est
illa scientia, quae graecam habet originem, et cuius vocabulum de
graeco οἰνεῖν flexum est. Quod sicuti non tantum indicare, sed etiam,
vt HENR. STEPHANVS (*de crit. p. 5*) statuit, discernere, quod alio-
quin compposito dialegit, visitativus in soluta praesertim oratione dicitur,
denotat, ita non tantum crinice dicitur, quod eius ope de sensu et ele-
gantia

ganja dictorum, de aetate scribentium iudicamus, sed etiam quoniam
 is, qui iudicat, discernat ea, quae vere, quae *οὐτως καὶ αὐτοχέρηνα*
 talia vel talia sunt, ab iis, quae in speciem tantummodo talia esse dici
 possunt. Nam ut pro tribunali id, quod primo adspexit iustum videtur,
 ab eo, quod reuera iustum est, discernere oportet, sic etiam ab eo, qui
 alienorum scriptorum est *κριτικός κρίτης*, ea, quae prima fronte emen-
 date et recte dicta videri posunt, ab iis, quae vere talia sunt, distingui
 oportet. Atque, ut quo quis magis oculorum acumine valer, eo faci-
 lius lanam, quae colorem mentitur, ab ea, quae vero minimeque ad:
 ulterino colore intacta est, dignoscit, ita, quo quis est *κριτικός τερτερος*, eo
 minus in iis, quae dixi, haerer. Cum iudicare, tum discernere si cri-
 tiques critique est; docet C. A. HEYMANNUS (*in comment. de arte*
crit. v), i, naturam omnium linguarum generatim, sive certae cuius:
 piam linguae contemplari, ii, originem et natales inuestigare sive vo-
 cabulorum, sive adagiorum, iii, methodum linguae addiscendas praes-
 scribere apitissimam facilimamque, iv, regulas tradere interpretandi
 verba phrasesque obscuriores, v, interpretari fabulas poetarum, item
 aenigmata, vi, iudicium ferre de stilo eiusque virtutibus ac viuis, vii,
 differeniam stili ostendere ratione aetatum, viii, indicare stilum certae
 sectae, deque eius usu ferre sententiam, ix, designare characterem
 stili cuiusque auctoris, x, ex hisce stili characteribus discernere, (i) virum certi auctoris oratio sit sincera, an glossemata aliquo interpolata?
 (ii) virum verba certi auctoris sana sint, an corrupta, et quomodo sint
 emendanda? (iii) virum liber certus huic vel illi auctori ex vero tri-
 buatur, an sit suppositius? (iv) qua aetate liber sit scriptus, qua
 non sit? (v) cuius auctoris sit liber *anonymus*, vel *pseudonymus*? xi,
 iudicium ferre de recta pronunciatione linguae, xii, orthographiam
 monstrare, eamque solidis superstruere fundamentis. Quodsi secundum
 priscorum disciplinam describere volumus, viriusque haec imago est,

hoc



hoc simulacrum. Prodeat QVINCTILIANVS, qui, quid criticorum fuerit? his verbis exprimit: Iudicio tam severè vñ sunt veteres grammatici, vt non versus modo censoria quadam virgula notare et libros, qui falso viderentur inscripti, tamquam subditios submouere familia permiserint sibi, sed auctores alios in ordinem redegerint, alias omnino exemerint numero. Quibus verbis duo a criticis postulata esse commemorat, auctores aut in ordinem redigere, aut numero eximere. Illud fiebat, scriptores substitutos ex eo, quem inter bonaе adhuc libros notae sibi vindicarunt, loco expellendo, et ad viliores abiiciendo, hoc, alias, qui inter adulterinos immerito relati fuerunt, in suum pristinum restituendo locum, atque eos, quasi ex exilio, in quod ab imperitis indoctisque missi fuerant, reuocando. Id quod vt fieret, partim librarium ac bibliopolarum fraus, partim falsi tituli, partim auctorum επωνυμία, partim grammaticorum inscritia in causa fuerunt. Quam ob rem librorum composuerunt indices, in quibus singula singulorum auctorum scripta cum cura enarrarunt. Enarrarunt etiam singularibus commentariis, qui vel iisdem, vel similibus fuerunt nominibus vñ, auctores. Tituli queniam vel omisi, vel immutati, vel corrupti fuerant quam saepissime, vel pristinos et veros restituerunt, vel fecerunt nouos, in quibus verum indicarunt voluminis auctorem. Praeterea veterum auctorum stili habuerunt rationem, obseruarunt singulorum auctorum propriam, etiam dogmatum conuenientiam, in ipsa, quae dubiae sunt fidei, inquisierunt scripta, num de vero eorum auctore atque antiquitate eius, an aliis scriptoribus coaevis aliquid ex ipsis certi erui possit, summo cum studio ea perlegerunt, ad eum finem, vt cognoscerent, num in illis essent, quae vel auctoris aetati, vel loco, vbi liber scriptus dicebatur, vel aliis rebus repugnarent, aliorum scriptorum ingenii momenta, in quibus eius, de cuius disputabant auctoritate, libri forsan mentionem factam esse suspicabantur, peruelutarunt.

litarunt^r Quoniam factum est, vt, partim pér librariorum, partim per
 grammaticorum imperitiam ac negligentiam glossemata, hoc est, breues
 grammaticorum obseruationes cum ipsis auctorum veterum verbis per-
 miscerentur, poetarum carminibus falsi a fraudulentia manu adderentur
 versus, quid quod codices ipsis manu exarati cum ab ipsis auctoris
 tum scribarum negligentia deprauarentur, emendare, distinguere, an-
 notare curarunt. Quod ad glosas, quae quum verborum valde turbarent
 feriem, sensum plane obscurarent, ac de stili, quo auctor seū commen-
 dabat, multum detraherent elegantia, eas proscripterunt. Quod ad ver-
 sus, eos censoria quadam virgula notare, sibi permiserunt. Quod ad
 codices deprauatos, librariorum ac scribarum menda correxerunt, omni-
 bus vocibus legitimū vindicarunt locum, quoniam non raro non singu-
 lares solum voces ac litterae, sed toti quoque versu in poetis per negli-
 gentiam transpositi, aut penitus omisi erant, aliorum criticorum de
 corruptis locis sententias diuersas, quas vel reiecerunt vel laudarunt,
 recensuerunt, causas, quare hic ille locus pro corrupto putandus sit,
 et quam ob rem medicina ipsis adhibenda, addiderunt, emendationes
 suas argumentis vel ex aliis scriptorum testimoniis, vel ex manu scripto-
 rum codicum consensu, vel ex aliis fontibus peccatis comprobarunt. Tan-
 dem de quibuscumque scriptoribus, de aetate, de ratione scribendi, de
 virtutibus ac vitiis, de castitate dictioris iudicium dixerunt ac sententiam,
 atque in ipsa auctorum verba, ex quibus eorumque conditione et usu
 suum formarunt iudicium, atque in ipsis res ab auctoris traditas,
 num veritati respondeant, annon? et quanta huic illius scriptori haben-
 da sit fides, inquisuerunt. Hanc criticis prouinciam traditam fuisse,
 non difficile probatu forer. At hoc labore facile possumus supersedere,
 quoniam vterque **VVALCHIVS** pater (*in histor cit lat ling c. VIII*
§ VIII seqq) et filius (*in libro de arte crit ver rom.*) nimis longi
 hac in re fuerunt



EX quo, criticen ad grammatica relatam, quamquam adparet, tamen cum criticen et grammaticen, tum criticos et grammaticos et disciplinas et familias dissentientes inter se et multum disunctas et disperses, qui adfingunt, non defuerunt. Nec criticen grammatices, nec hanc illius partem esse pulere demonstrauit *Vossius* (*de natura et constitut grammat*) Etiam criticum a grammatico differe, auctore **SEXTO** (*p. 233*), **CRATES** contendit, et criticum quidem dicir oportere esse peritum omnis scientiae, quae ad eruditiorinem pertinet, grammaticum autem esse tantum interpretem inusitatarum vocum, et tradere accentus, et ea scire, quae sunt his similia, et ideo illum quidem similem esse archiecto, grammaticum autem ministro. Tamen criticen conclusam et comprehensam esse in grammaticae, affirmat **QVINCI
LIANVS** (*l. i c. 4*). Haec professio, inquit, cum breuissime in duas partes diuidatur, recte loquendi scientiam, et poetarum enarrationem, plus habet in recessu, quam fronte promittit. Nam et scribendi ratio coniuncta cum loquendo est, et enarrationem praecedit emendata lectio, et mixtum his omnibus iudicium est, quo quidem ita scuere vbi sunt veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare et libros, qui falso viderentur inscripsi, tamquam subdiuios, submoveare permiserint sibi, sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero. Quem fugit, **MARCVM ANTONIUM
GNIPHONEM, ATTEIVM, VALBRIVM CATONEM, CVRTIVM
NICIAM, QVINCTVM CAECILIVM epirotam, LVCIVM CRASSI
TIVM, CAIVM IVLIVM HYGINVM, VALERIVM PROBVM** criticos fuisse, a **SVETONIO** tamen in numero poni grammaticorum? Quem fugit, **CRATETEM** mallorem, ducem atque auctorem grammatices apud romanos, a **DIOGENE LAERTIO, STRABONE, SEXTO** empirico, grammaticum nominari, at criticum tamen fuisse? His addo **DIONEM** chrysostomum atque **CLEMENTEM** alexandri-

num

num. Hic (stromat. l. i p. 309 edit. Colon): APOLLODORVS cum
 manus primus critici nomen suscepit et appellatus est grammaticus, non-
 nulli autem dicunt ERATOSTHENEM cyrenaeum. Ille (orat. LIII
 de HOMERO): ARISTARCHVS et CRATES atque priores alii, qui
 tandem grammatici appellati sunt, antea autem critici, et ARISTOTE
 LES ipse, abs quo grammatici et critici initium cepisse existimant.
 Ex quibus verbis, ARISTOTELEM critices auctorem fuisse, DAN.
 HEINSIUS (in diss. de verae crit. apud veteres ortu progressu usu-
 que) cogere arque efficere vult, quoniam primi et critici et gram-
 matici titulum sibi vindicare potest, quoniam artem et grammaticam et
 criticam artissimo primus coniunxit vinculo, et quoniam critici antea
 rudem et sterilem diligenter coluit ac nova quasi ornauit facie. Huius
 rei libri et politicorum, et didacticarum, et rei poeticae testes locuple-
 tissimi sunt, et sex homericarum quaestionum gratiores forent, nisi
 temporum eos iniuria abstuliseret. Tantum vero abest, ut critici gram-
 maticorum nomen assumserint, ut eorum personam suscepserint et tra-
 starint praedclare. Quare veterum monumentis ingeniorum, ratione
 cum verborum tum rerum habita, lucem accenderunt, ad veram eorum
 intelligentiam duxerunt letores, atque in hanc prouinciae administratio-
 ne ex etymologiae, historiae antiquae, geographiae, chronologiae,
 antiquitatum atque aliarum disciplinarum fontibus hauserunt principia.
 Quos prisci auctores commiserunt errores, annotare, ac vituperanda
 omni obseruare diligentia consuerunt. Si veterum auctores perlegerent,
 periodos et earum partes secreuerunt interpunktionibus, et distinctionum
 notas, a librariis antea inepte adscriptas, et auctoris misere sensum cor-
 rumpentes, emendarunt, atque ad iustum transtulerunt locum. Si quae
 repugnantia inuenierunt, studuerunt conciliare. Si quae ab aliis mutua-
 ta, aut ad alterius sermonem facta, adnotarunt. His etiam bibliorhecarum
 commendata cura est, quoniam singulos auctorum libros apie colligere,

C

ad

XVIII.



ad certum ordinem redigere, discissa coniungere, male coniuncta separare, germana ab adulterinis secernere, et singulis scriptoribus proprios ingenii foetus vindicare calluerunt. Quia pueros liberales docuerunt disciplinas, iudos aperuerunt; in quibus scriptores, poetas maxime, illustrarunt, obscuriores explicarunt voces ac formulas loquendi, ambigue dicta notarunt, et quae ipsis digna videbantur reprehensione, de scriptoris sui aetate ac scribendi virtutibus iudicarunt ac viuis, atque, priscais ingeniorum monumentis ex historia antiqua, geographia, antiquitatibus aliisque lucem accenderunt, non illis omissionis, quae de emendatione, corruptis locis, glossematis, rel. obseruanda erant. Tandem etiam poetarum recitationibus praefuerunt, qui cuiuscumque vatis vires probarunt, ac de poematis recitatis sententiam tulerunt, praemiis singularibus constitutis. De quibus pluribus egit **L. E. L.**
VVALCHIVS (*l. c. p. 194, 599*). Qui critice ad grammaticen referri, atque critici grammatici laudari possint, enodat arque diiudicat **CLERI** **CVS** (*in arte crit. praef. sect. 1, 1*). Non inquiremus hic, inquit, an ars critica pars sit grammaticae propriae dictae, an vero secus, quia pendet ex cuiusque arbitrio, arctiore aut ampliore vocabulo cuius tribuere significationem, in suo ipsis sermone, modo audientes, aut legentes moneat. Itaque qui grammaticen vocabit, quidquid ad linguarum antiquitatisque cognitionem pertinet, eo nomine critican etiam complectetur. Qui vero grammaticen dici tantum debere censembariem recte loquendi, is critican, quamvis grammaticae ad finem, ad aliam disciplinam referet.

HIS praemissis de grammaticis Romam introlati iuste aestimari potest, qua de re alio tempore agere nobis
est animus

SK Te 112

X 3372199

B. M. II, 638.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

D E

GRAMMATICE

CIS PETITA

M DISSERIT

L O C O

SAPIENTVM ORDINE

DICANDO

JVS MESSERSCHMID

AVGVST' REGIOMONT' IENN' ATQ

INSTITUT' LITTER' SOD

ONDENTE

FREDO DISING

ITEM B

VL' CICICL LXV

TEMBERGAE

I S G E R D E S I

BIBLIOTHECA
NICKAVIANA

